



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Soliditate Virtutis In Religioso Societatis Jesu requisita  
Considerationes R. P. Gasparis Družbicki, Societatis Jesu**

**Družbicki, Kaspar**

**Coloniæ, 1721**

Consid. 7. Ubi solida virtus sit quærenda & paranda?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60934)

tor & sectator; & ea ad imum cor demitte, ad illa te, affectus tuos, actus tuos, officia tua, virtutes tuas examina, neque fatigeris hac reflexionis curâ, quia nunquam sine profectu te laborâsse deprehendes. Ut nihil aliud fructûs referas, illud tibi solatio sit, quod Bernard: alicubi asserit: Tunc te non frustra scrutatus es, quando iterum scrutinio opus esse deprehendes. Multum profecit & effecit, qui hoc effecit apud se, ut intelligat se adhuc proficere debere, parum profecisse, parum solidæ virtutis habere.

## D I E S III.

*Ubi virtus solida paranda seu quærenda. Ubi exercitanda & perficienda. Ubi possidenda, & tanquam robusta atque securè solida, tenenda, inque usum revocanda?*

## CONSIDERATIO VII.

*Ubi solida virtus sit quærenda & paranda?*



Ita præsens, vita est laboris, itineris, profectûs, mercatûs, negotiationis, Vigiliæ, pugnae. Illa ergo est campus, quærendæ, parandæ, exercendæque Virtutis, ac perficiendæ, & denique tenendæ ac possidendæ. Post hanc vitam, nec ratio, nec opus, nec consilium locum habet:

habet: *Venit enim nox, in qua nemo operari possit.*  
 Ioan: 9. 4. Qua de re nullum dubium est: tantum  
 id animo infigendum, quod, quidquid virtutis, gra-  
 tiæ, gloriæ in hac vita non comparaverimus, id in  
 æternum comparaturi non sumus: ut proinde om-  
 ne momentum vitæ hujus esse nobis pretiosissi-  
 mum debeat, & non in nugis vanis, sed in solidis  
 laboribus ac æternitati servituris consumendum sit:  
 quippe momentum, *Et momentaneum hoc, quod in  
 presenti est, immensum gloriæ pondus supra modum  
 in sublimitate operatur in nobis.* 2. Cor: 4. 17. O  
 avaritia humana, cur hinc non exerceris? cur his  
 lucris, his favoribus non inhias? Hæc Sancta &  
 Sanctorum avaritia est; radix non iniquitatis, sed  
 justitiæ; non idolorum, sed veri vera Dei servitus:  
 at illam etiam Sancti sæpè non agnoscunt, sæpè non  
 exercent, sed tepiditate, dilatione, negligentia, op-  
 timas horas non optimè elabi sinunt. Utinam &  
 ego, & qui hæc legit atque expendit mecum, tales  
 esse desinamus!

Status Religiosus est etiam locus, & tempus, &  
 status laboris: sumus enim ad Religionem vocati,  
 ut operarii in vineam, ut negotiatores ad Mensam,  
 ut excubitores ad vigiliam, ut milites ad militiam, ut  
 athletæ ad luctam, ut in stadio currentes ad cursum.  
 Nobis dictum est: *Negotiamini, dum venio.* Lucæ  
 19. 12. nobis *Distribuit Dominus talenta Et dona  
 sua, quæ, in sudario involuta, nefas est defodere in  
 terrâ.* Nos sumus arbores in horto Domini, in  
 quo steriles esse nefas est, sed fructum oportet afferre  
 in tempore. Ioan: 15. 16. Nos electi sumus, ut

gamus, & fructum afferamus, tricesimum viæ purgativæ, sexagesimum viæ illuminativæ, centesimum viæ unitivæ, Matth. 13. 8. & quidem in patientia; ita ut fructus noster maneat in vitam æternam. Quæ omnia sonant nihil aliud, quàm Religiosorum munus esse, virtutem quærere, acquirere, exercere, perficere, possidere. qua de re dubitare est nefas. illud tantùm apprehendendum bene, quòd Religiosum esse, nihil aliud sit, quàm Deo devotum esse: devotum autem esse nihil est aliud, quàm ad opera Dei, ad opera virtutis promptum, paratum, expeditum esse, ita ut Religiosi sit Deo perfectè servire, devoti autem, promptè perfectionem obsequii sectari. Ex quo colligat Religiosus, se, si in servitio Divino non occupatur, si non ad perfectionem conatur, si non promptè & expeditè contendit; nec Religiosum, nec devotum verè Deo esse. *Hæc qui debet capere capiat, & si quis habet aures audiendi, audiat.* Nihil enim tam formidare debet Religiosus, quàm ne non sit Religiosus; nihil æquè debet horrere Deo devotus, quàm ne non sit devotus. Non est autem Religiosus & devotus, quisquis est tepidus, quisquis est ad opera divini obsequii non promptus, quisquis in Virtutis studio non assiduus, quisquis solidæ virtutis non est exercitator indefessus.

Sunt tamen in Religionibus, præsertim in Societate tempora & spatia distincta Virtutis solidæ, acquirendæ alia, exercendæ & perficiendæ alia, utendæ denique alia, (omitto nunc reparandæ spatia, quippe hæc in mediis conjungo) acqui-

acqui-

Acquirendæ virtutis , & tempus & spatium in Societate est Tyrocinium , quod ideo præ aliis Religionibus , est longissimum , & fortè etiam dicere possem accuratissimum , ut in eo Virtutis solidæ comparandæ , otium detur quàm commodissimum : non quòd aliis etiam annis virtus in Societate quæri non possit , & inveniri , sed quòd aliis annis exercenda potiùs quàm quærenda , in annis Tyrocinii quærenda & acquirenda sit. Ad Tyrocinium enim adferri virtus ( ordinariè ) non potest , nec debet , sed in Tyrocinio discenda & acquirenda est. ex Tyrocinio verò ad alios Religionis annos exportanda , & in eis exercitanda est. Quare annos Tyrocinii potissimum quærendæ virtuti solidæ assigno , in quibus quàm solidè & quàm solida virtus quæri debeat; ex sequentibus , quæ consideranda propono , capitibus elucescet.

Imum Sit de tribus Classibus Religiosorum. Una est Tyronum & propè Tyronum, scilicet juniorum Religiosorum. Altera est mediorum , seu in medio vitæ Religiosæ cursu positorum. Tertia adultorum & consummatorum , atque adeò jam in senectutem vergentium. dicere possumus aliter, incipientium , proficientium , perfectorum , sed libet priore loquendi modo uti. Hæ tres Religiosorum classes habent suas proprias virtutis perfectiones & soliditates : ita ut primæ Classis virtus, sit gradus ac semen sequentis ; hujus verò in virtute soliditas, sit item gradus & semen tertiæ ; istius denique sit semen vitæ & gloriæ æternæ. Primæ Religiosorum Classi incumbit, crassioribus expugnatis vitiis,

ea, quæ ad votorum & Regularum observantiam pertinent, non solum addiscere, sed in usum quoque & consuetudinem suam salutarem perducere: incumbit actiones & occupationes Religiosas, omnes quidem, præcipuè tamen ad spiritum pertinentes [ut sunt Orationes, Meditationes, Examina, Sacramenta, Lectio & Collocutio Spiritualis, Collatio cum Patre Spirituali, intentionis & cordis puritas &c.] cum omni diligentia & cura, cum omnium observationum exacta observatione affuescere facere, ita ut hæc diligentia fiat planè Novitio naturalis &c. Secundæ Classi Religiosorum incumbit & competit quædam maturitas, hoc est, facilitas quædam, & decentia atque ornatûs adhibitio in exequendis iis, quæ sunt vocationis, quæ Regularum, quæ ordinariorum occupationum & actionum. Non decet hos, uti bruta pecora, tristi necessitate, metu pœnæ aut accusationis, monitionisve, ad obsequia divina, Religionis obedientiæq; opera adigi: sponte hi debent de virtute in virtutem currere: sponte exacti esse in observatione tam temporis quàm ordinis, quàm modorum, quibus peragenda sunt actiones & obedientiæ imperatæ: non ad oculum, non ut non fecisse non deprehendantur, & deprehensi puniantur. Sponte isti dicuntur se ipsis meliores de die in diem effici, & opera sua quotidiana atque communia, exacta & virtutum ornatu cincta devotione atque fervore Deo præsentare, ut fecisse scribitur S. Ioseph Patr: apud Hieron. in c. 3. ad Ephes. de quo sic ibi scribit. *Habebat propositum Deo placendi, quod nullâ*  
*tem-*

temporis varietate mutavit, neque adversis, neque prosperis sibi succedentibus; semper unus idemque fuit, ac malos dies in bonos vertit. Tertiæ Classi Religiosorum propriè dicta & primariè incumbit soliditas, qua in votis, Regulis, Virtutibus, operibus, consuetudinibus ac spiritu ordinis sui probè & constanter atque validè formati & confirmati stent, ita, ut jam iis lex non sit posita, sed sponte suâ, quæ legis & disciplinæ sunt, faciant, ut jam cæteris veluti viva Regula factisque expressa, Religionis & spiritûs disciplinâ, consilio & exemplo, reliquis præluceant, & unumquemque dictis factisque, securè utiliterque in via divini servitii juxta spiritum Religionis dirigere possint. Huic Religiosorum Classi, Regularum observantia, & Religionis disciplina levis sentitur, (sentiri certè deberet) & omnino tandem suavis fit, atque ut loquitur Cassianus, *Superata jam vitiorum impugnatione transitur in ipsius virtutis affectum, & gravis est poena vel virtutum pernitiōsa transgressio, vel vitii virulenta contagio.* Hæc incumbit tertiæ classi soliditas virtutis, quam utinam non frequentius in prima inveniamus classe, quàm in hac tertia; sed hæc interim deploratio relinquenda, coram Deo autem facienda est. Hoc caput expendere proderit, non tantùm ad præsentis considerationis, sed etiam ad duarum sequentium institutum. Ad alia hujus loci propria capita, recensenda pergo.

2dum ergo Caput sit, ut Tyro atque primæ classis Religiosus hoc inviolabiliter menti &

cordi suo inculpat propositum: Volo in hac Religione Deo servire, in eoque servitio & vivere, & mori planè statuo, quidquid tandem mihi evenerit, *manum ad aratrum missam semel, nunquam avertam* Lucæ 9. 62. *Neque retro cum uxore Loth respiciam.* Gen. 19. 26. Omnis hominis Christiani, sed magis Religiosi, ac maximè tyronis vox illa esse debet propria & medullis irradiata: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? Et Certus sum, quòd neque mors.* Rom: 8. 31. Necessaria est hæc tyroni resolutio. Nam si in hoc proposito vacillat, nihil mirum, si reliqua tandem omnia non tantùm vacillabunt, sed & corruent.

3tium Caput. Idem primæ Classis Religiosus inviolabiliter hoc propositum teneat: Aliter omnino & per omnia contrariè mihi vivendum est in Religione, quàm vixi in seculo. Religio enim est inversus mundus; sapientia mundi, hìc stultitia est; mores mundi, hìc peccata sunt; gloriatio mundi hìc pudor est; etiam modus, pedes movendi, gressusque faciendi, observatus in seculo, in Religione dediscendus est. Uno verbo, ut massa ferrea, in incude Religionis, recudendus est, qui ex seculo venit; in aliam formam traducendus, in alium virum transformandus, veterem hominem exspoliandus; linguam, quam non noverat, docendus, & tanquam puer sensim ad rudimenta & elementa sermonum Dei revocandus.



4<sup>o</sup> *tum* Caput. Primæ classis Religiosus inculpat animo hoc propositum : In Religione volo omninò sanctè, perfectè, ad normam instituti mei , quod sum complexus, vivere, omniàque servare , quæ sciam esse præscripta; idque etiamsi nullus alius, qui in eadem Religione est aut erit , illa observabit. Nam ego non veni ad Religionem , ut vivam sicut alii vivunt, vivent, sed sicut omnibus vivendum est ex mente instituti : neque mihi aliorum vitæ , sed Regulæ à Religione sunt ad legendum initio ingressus mei propositæ, à mèque sunt tanquam norma vivendi acceptatæ. Hoc propositum à primo die tyrocinii sui usque ad finem vitæ Religiosus tenere debet.

5<sup>o</sup> *tum* Caput. Primæ classis Religiosus inculpat animo: omni Religioso, consequenter ergo & mihi, incumbit in Religione, bona agere & mala pati, facere imperata , perpeti quæcunque obvenientia, mancipium, servum, jumentum Religionis & Prælatorum & omnium esse. Nunquam pro tota vita sperare libertatem, nunquam gratiam, nunquam laudem , nunquam præmium à superioribus vel domesticis, sed imperia, sed reprehensiones , sed contemptus, sed infra alios depressiones, sed accusationes, sed pœnas: etiamsi innocens fuero, etiamsi alius in culpa erit, non ego, etiamsi hæc , quæ jussus sum, & eo, quo jussus sum, modo egero. Omnes alii erunt Religionis filii, ego servus: omnes alii erunt in oculis, & gratiâ, ego in oblivione : omnes alii erunt apti ad omnia, ego ineptus ad omnia; de omnibus aliis nihil credetur mali, de me

omnia & nihil boni : omnes alii utiles sunt aut erunt, ego ad nihil utilis, immo damnosus semper: omnibus tutò credi poterunt multa, omnia; mihi nihil unquam: aliorum nemo custode indigus, mihi tanquam efferatæ & indomitæ feræ, aut tanquam suspecto & periculoso, caveâ & custodiâ opus erit spiritualiter: alii propter alias honestas causas religione recepti sunt, & in eâ fovebuntur, ego ex pura Patrum misericordia & receptus sum, & tenebor: aliis debebuntur spiritualiter in victu, vestitu, habitatione, occupatione meliora, & honoratiora, & prima, mihi verò spiritualiter vilissima & postrema.

6tum Caput. Primæ classis Religiosus firmissimè sibi persuadeat hoc: Ego & asinus fratres sumus, & nihil inter nos differt. Ego ipse mihi reus, fur, prædo, hostis capitalis, perpetuò, & in singula momenta sum; semper ergo mihi à me cavere, mihi suspectus esse, nunquam pacem mecum facere debeo. Amare me, indulgere mihi, est me perire; carni meæ nihil debetur nisi Virga, onus, paleæ, Crux, dolor, nuditas, inedia, sitis, frigus, labor; animæ meæ nihil debetur nisi confusio, contemptus, reprehensio, irrisio, censura, servitus.

7mum Caput. Primæ classis Religiosus firmissimè sibi persuadeat: Conscientia mea superiori meo atque Patri spirituali vitrea & crySTALLINA debet esse semper, ut eam, cùm libet, inspiciat, nec in ea quidquam eum lateat, sed eam meliùs quàm suam ipse, vel quàm ego meam, nôrit. Neque expectabo, dum ille inspiciere velit, sed rogabo, ut velit, afferam

afferam & exponam, ut possit. Non invitabo ad me Diabolum ejusque tentationes, spe taciturnitatis meæ secretique mei, sed primulas ejus suggestiones duci meo spirituali continuo aperiam. Nam celare & fugere conscientiam spiritualis Patris, crimen est tyronis, & primus ædificii Diabolici lapis, primus ad teporem, ad inquietudinem, ad ruinam passus, diaboli securus nidus. Superiorem, etiam odientem me, amabo. Crudus enim & asper, magis ad indigentiam, mores, utilitatēque meam est, quàm blandus & mihi compatiens. Hoc propositum adeò necessarium, & tyroni quidem propriè, dico, ut nullum aliud æquè sit illi commendandum: hoc enim unum, omnium est reliquorum illi necessariorum quasi supplementum, adeò, ut, si hoc habeat, non sit alia diù desideraturus. Et causa est, quia, cùm tyro sit ignarus, inexpertus, passionum adhuc vivarum impetu facilè mobilis, ad astutias diabolicas cæcus, ad sua desideria frænanda impotens. *Inter lepram & lepram, inter bonum & malum, inter spiritum & spiritum, discernere non valens.* Deuter. 178. magis de externa specie pietatis ac Religiositatis quàm de latente ejus virtute sollicitus, uno verbo, adhuc à cæpis Ægypti non planè excoctus, sibique ad nihil sublime sufficiens, pronissimus verò ad terrena, ad sensualia, ad ruinam; & esto bonam voluntatem retineat, rationis ductu destitutus: nihil huic consultius & securius esse potest, quàm ut quod minus habet de suo, id petat ab alieno; utque is, qui se ipsum vix portat, præ spiritualis hominis teneritudine infantili, & se,  
& alia

& alia omnia onera sua alienis imponat humeris deferenda, alienis regatur consiliis, imperiis, providentiis, voluntatibus. maximè quando in Religione Superior, ita Vicarius est Dei, & interpret voluntatis ejus certus, ut sensus ejus, sit sensus Dei, quoad bonum subditi; promiseritque subdito Religioso Deus, se illi, per hominem Superiorem, suam voluntatem infallibiliter manifestaturum. Hoc ergo capiant & sapiant Tyrones.

8vum Caput. Primæ classis Religiosus firmissimè teneat: cum carnis & præsertim gulæ commodis, satietate, voluptate, appetitu semper est mihi luctandum, tamdiu donec victor sim & dominus mei in hac parte, *donec ad alimenta, tanquam ad medicamenta sumenda, accedere assuescam*, & purè soli necessitati, nihil voluptati indulgere condiscam. Religiosus enim, qui gulæ suæ impotentiùs servit, & succumbit, adeò vilis est, ut indignus sit, cum quo diabolus colluctetur; & dedignatur Dæmon certare cum guloso, sed eum solius gulæ suæ gladio debellare superbus ille satis putat. Quo quid debet esse Religioso probrosius, & detestabilius? certè ignoro, quid possit esse contemptilius eo, quem Diabolus ipse judicat indignum tentationibus suis. Ergo rudimenta pugnarum sunt gulæ & ventris certamina, quæ sunt tyroni primitùs & perfectè superanda.

9num Caput. Primæ classis Religiosus hoc sibi persuadeat medullitùs: Ab omnibus, cum quibus maneo, & manebo unquam, ego judicari, censurari, accusari, puniri, contemni, conculcari, irrideri, odio

odio

odio haberi debeo, velléque teneor, ac volo, ipse autem neminem judicare, accusare, desplicere, vexare, irridere possum. Omnes alii, Domini sunt mei & Prælati, me digniores & meliores, ego autem sum omnium servus, & à Deo ad serviendum omnibus creatus atque vocatus. Illis ergo jus est in me, sed non mihi in illos. Servus enim non judicat dominos, & dominorum suorum filios, neque illos vexat, ridet aut spernit, alióve modo lædit. Servi potius conditio est, à Dominis talia perpeti, & silere, quia servus est. O! quantum boni, quantum lucri, quantum pacis inviolatæ tyro possideret per omnes Religiosæ vitæ suæ annos, si hunc spiritum cum lacte sui tyrocinii sugeret, & ab infantiâ Religiosâ huic cibo assuesceret!

Primum Caput. Primæ classis Religiosus hoc sibi etiam intimè persuadeat: Nisi linguam meam frenavero, vana erit meâ semper omnisque Religio. Silere sit mihi semper in desiderio, loqui in necessitate. Nunquam os aperire possum, quin statim in ore lingua mea votum parturiant. Obstinatum ergo servabo silentium. *Verè enim Religiosus garrulus, est sentina peccatorum, amnis enim exundans lutum multum trahit.* A pueritiâ porro Religiosâ, æstimatio silentii est combibenda, & nullis contrariis linguis, verbis, experimentis, exemplis, ab animo deponenda. Possunt alii in loquendo cohibere spiritum suum: at ego ita sum infirmus hac in parte, ut non possim. Fortè autem multos in hac re mihi similes, saltem inter tyrones inveniam.

1 1 mū Caput. Primæ classis Religiosus constringi & arctari semper magis à se, & à superioribus atque à disciplinæ custodibus appetat & gaudeat, laxiora & permittere & permitti sibi formidet. Discretionis spiritum & prudentiam apud se ipsum, tanquam infallibilis ruinæ principium, horreat. Modica ne spernat. Novitius enim discretus, non tantum est tentatus, sed etiam victus, etiam in vocatione dubius, immo etiam uno pede extra Religionem positus. tener Religiosus magis timeat discretionem in fervore quam indiscretionem, quia per indiscretionem itur ad discretionem, sed per discretionem itur ad tepiditates, ad laxitates, ad dissolutiones, ad tentationes, ad carnalitates, ad sacrilegia, ad Apostasias. Illud sibi inelamari tyrones & juniores putent à Bernardo ( Dimittite corpora, quæ de sæculo attulistis, soli spiritus ingrediantur: caro non prodest quidquam.) Regulæ asperitatem meditamini, quâ totam vitam atterere oportebit. Absit, ut Tyro persuadeat sibi, se quandoque tyronem non futurum, non ut Tyronem tractandum; plus jam sibi post biennium aut liciturum aut licere. Absit, illud, procacis cujusdam apud Cassianum, seniori suo obstrepat aliquando: Num ob hoc memetipsum humiliavi, ut semper subditus essem? &c. Semper illud quilibet eorum sibi occinat: Geram me sicut primi anni Novitium. Item illud: *Cavebo mihi semper à parvo mundo, hoc est à me ipso.*

1 2 mū Caput. Primæ classis Religiosus illud sibi perpetuò infigat & inelamet, quòd Sanctis Ephrem,  
Doro-

Dorotheo, Arsenio, Bernardo, solemne fuit in-  
clamare sibi met ipsis: ad quid venisti? Item illud:  
*hoc est esse Monachum.* Item illud: *Et Senatorem*  
*perdidisti, & Monachum non fecisti.* Item illud:  
*Tantum proficies, quantum tibi ipsi vim intuleris.*  
Efficacissimum quippe ad constantiam in bono me-  
dium est, primos nostros spiritus & primitias reso-  
lutionum nostrarum sæpè ob oculos proponere,  
neque primam charitatem relinquere, sed potius  
prima opera nostra semper facere, & ut ea plena  
coram Deo sint, curare.

Hæc 12. Capita debent esse Tyronum Religio-  
forum classi, tanquam spiritualis ipsorum ædificii,  
seu 12. fundamenta: Debent esse tanquam 12. Ar-  
ticuli symboli Religiosi, quos firmissima non tan-  
tùm comprehensione & fide teneat, sed etiam, im-  
mo multò magis executione perpetuâ assiduâque  
praxi in effectum deducat. Hæc capita facient, ut  
Tyro Religiosus Virtutem solidam & inveniat in  
Tyrocinio, & inventam secum educat, atque cir-  
cumducat in toto reliquo vitæ Religiosæ spatio. *Si-*  
*quidem Adolescens juxta viam suam, etiam cum*  
*senuerit, non recedet ab ea.* Proverb. 22. 6. Ta-  
lis Virtutis soliditas, utinam vel in veteranis seni-  
bùsque reperiri possit. An in te, qui hæc conside-  
ras, reperiat, dispicias; utque reperiat, aliquan-  
do tandem animum serium adjice. Non pudeat,  
Tyronum virtutem sectari; magis pudeat, etiam  
Tyronum præludiis veteranum carere.